



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Cognitionis Cavsarvm Matrimonialium, & Criminalium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

- tionem Concilii.
3 Derogatio specialis requiritur Conc. Trid.
4 Regula 12. Cancellaria reuocatoria vnionum, non procedit in vnionibus factis Seminarijs.
5 Vnio facta in augmentum cultus diuini non comprehenditur sub regula reuocationis vnionum.
6 Pia causa non comprehenditur in generali sermone.

An Episcopus in reuisione vnionum possit illas reuocare, & quæ.

Q Vando vniones sunt perpetuæ in eis non obtinet locum Regula reuocatoria vnionum, cum illa ad temporales non ad perpetuas extendatur, vt post Ancharan. consil. 404. tria dubia, & in regula accessorium de regulis iuris in 6. tradit Gambar. lib. 5. titul. de potestate legati in vniendo num. 160. & quia vnio hæc facta extitit autoritate sacrosancti Concilij Tridentini, cui Summi Pontifices visum non est derogare, nec derogari velle: non enim est Papæ intentio velle derogare Concilio prædicto tor laboribus, & vigilijs celebrato, vt ex cap. Ecclesia, de electione, & l. si quando C. de inoffic. testam. tradit Rebutius respons. 159. vers. 12. qui in terminis vnionis hoc ponderat, & confirmat ea ratione, quod Concilij constitutio habet in se clausulam derogatoriam secundum Archidiacon. in cap. 1. in vers. noscatur de constitut. in 6. Gambar. lib. 10. de potestate legati num. 397. & sibi non derogatur, ita facile sicut constitutioni Papæ, Dec. in cap. 1. nu. 8. de iudicijs, & in cap. prudentiam num. 18. de officio delegat. dicens quod contra Constitutionem Concilij non sufficit clausula non obstantibus; vnde Cæsar. de Grassis decif. 9. alijs 3. de rescript. ait quod in Concilio requiritur derogatio specialis, quamuis eius series, & dispositio fuisset narrata, Ripa post Archidiacon. & alios in cap. 1. num. 8. de iudicijs, Gonzalez super reg. 8. Cancell. de mensium altern. gl. 6. num. 120. gl. 13. num. 36. & gl. 18. num. 103.

2 Et in propriis terminis quod regula 12. Cancellaria reuocatoria vnionum non procedat, nec locum habeat in vnionibus factis Seminarijs, nec alijs factis autoritate dicti Concilij Tridentini, resoluit Paris. lib. 2. de resignat. beneficiorum quæst. 9. num. 18. & seq. idem Gonzal. super regul. 8. §. 7. gl. 5. num. 46. & seq. dicens quod saluantur, & excipiuntur vniones quæ sunt pro fundatione, dotacione, augmento, vel conseruatione Collegiorum, & piorum locorum, aut religiosorum ad fidei Catholica defensionem, & propagationem, bonarumque artium cultum, vt ipsa regula excipit, & concernunt notata in c. ex parte, de constitutionibus c. fin. de rescript. lib. 6. Roman. in re. pet. auri. similiter C. ad leg. Falcid.

3 Quibus constat vnionem factam in augmentum cultus diuini non comprehendi sub regulis reuocationis vnionum, Rota Romana sacri Palatii lib. 3. par. 3. decif. 1143. incip. an per regulam, dicens ita fuisse resolutum in vna Conchenfi præstimonij vnionis de Baraxas, vt per Mohedan. decif. 7. num. 3. de priuilegijs, eo quod in generali sermone non comprehenditur facta ad piam causam ex Innoc. & Ant. de Butr. in cap. relatum li. 1. de testam. Felin. in c. Ecclesia Sanctæ Mariæ col. 3. de constitut. Achill. de Grassis decif. 388. alijs vnica super regula Cancellaria de reuocatione vnionum.

PRAXIS COGNITIONIS CAUSARVM
Matrimonialium, & Criminalium.

RESOLVT. CCLXIX.

- 1 Episcopus est Index compctens causarum matrimonialium, neque alijs committi solent num. 4.

- 2 Causa matrimonialis dicitur ardua.
3 Episcopus debet cognoscere de causa matrimon., quia Sacramentum.

Cognitio causarum matrimonialium, & criminalium ad quem regulariter spectet.

1 EX Concilio Trid. sess. 24. cap. 20. cognitionem causarum matrimonialium non pertinere nisi ad Episcopos tantum, cuius textatio duplex assignari potest.

Prima, quia cum matrimoniales causæ arduæ sint, vt per Bald. in cap. causam matrimonij, de probationibus. Abb. in cap. mulier in 7. de iure iurando, Sbroz. de officio Vicarii lib. 2. quæst. 44. num. 4. propterea, non per inferiores, sed ab Episcopis tantum esse cognoscendas æquum est.

2 Secunda ratio est, quia licet matrimonium contractus sit, quia tamen Sacramentum Ecclesiæ est, Episcopi tantum de eo cognoscendi facultas datur, vt probat textus in cap. multorum 35. quæst. 6. cap. auditis, de præscriptionibus, c. accedentibus de excessibus Prælatorum.

3 Et disponit Concilium Trident. sess. 24. de refor. cap. 20. vers. ad hæc, causæ matrimoniales, par enim iustumque Sanctissimi Patres existimauerunt, tam sublimi Sacramento superiores, etiam omnium totius Orbis Iudices tribuere, resolunt Couar. de sponsalibus par. 2. cap. 8. §. 12. nu. 1. Sbroz. de Vicario Episcopi lib. 2. quæst. 43. in princip. Franc. Leo in Thesaur. fori Ecclesiastici par. 2. cap. 9. nu. 6. Gutierrez practica lib. 3. quæst. 26. nu. 1. Lopez l. 7. per text. ibi verbo a los Obisbos tit. 10. par. 4. Sanchez de matrimon. lib. 3. disp. 29. num. 17. Nos in praxi fori Ecclesiastici. decif. 245. in prima edit. & resolut. 215. in 2. edit. Molin. de ritu nupt. lib. 2. diffinit. 10. num. 14. Seraphin. Rota Romana decif. 765. Fufc. de visitat. lib. 2. cap. 21. nuni. 9. & Curia Romana alijs quam Episcopis de stylo committere non consuevit, plures citati a Rendina in promptuario recept. sent. tit. 72. nu. 6.

RESOLVT. CCLXX.

- 1 Causarum matrimonialium cognitionem iudicialiter Episcopus committere non potest, & num. 2.
2 Pontifex consuevit Episcopis committere causas, quia graues.
3 In tali causa non datur iuramentum suppletorium.
4 Causa grauis cur non possint subdelegari.
5 Industria personæ censetur electa in tali causa.

An ex delegatione possit inferior Episcopo habere huius causæ cognitionem.

1 Causas matrimoniales, quæ spectant ad Episcopum iure Ordinario, potest ipse committere discutendas, & decidendas Doctoribus, etiam qui non sunt eius Vicarii, Alexand. conf. 149. volum. 3. gl. in dicto cap. 1. de consanguin. Sbroz. quæst. 43. num. 7. & 9. Couar. num. 1. vers. item ex delegatione, & debent huiusmodi causæ matrimoniales ob sui grauitatem, cognosci, & iudicari ab his qui statuta Canonum non ignorant, vt probatur in dicto cap. 1. in fine, vbi causæ matrimoniales, solummodo committuntur peritis, & tractantur per Iudices discretos, Couar. vbi proximè Sbroz. dicto lib. 2. quæst. 43. num. 32. & quæst. 44. num. 1. Menoch. conf. 100. num. 240. & 258.

2 Suprapositam conclusionem veram intelligas, quo ad extrajudicialem cognitionem, alioquin non posset Episcopus delegare inferiori Prælato, cum ius delegandi pertineat ad Pontificem Maximum pro cuius opinionis comprobatione.

3 Addu-

3 Adducitur text. in cap. proposuisti, de probatione & in cap. ex literis, de in integrum restitut. & in cap. i. v. l. te non constet, quibus probatur causam matrimonialem à Romano Pontifice delegari, non solum Episcopis, sed, & inferioribus, nempe Archidiaconis, Prioribus, & Archipresbyteris, Abb. in cap. i. de consanguin. & affinit. Rendina d. tit. 72. num. 6. Couarr. dicto num. i. vers. est tamen, ubi addit non solere Romanos Pontifices causas matrimoniales, nisi ex iusta causa, aliis quam Episcopis committere; si matrimonialis controversia à Romano Pontifice cuiquam delegetur, non poterit is delegatus, etiam Episcopo eam subdelegare, Couarr. ubi proxime, Menoch. conf. 15. tom. i. Sbroz. dicto lib. 2. quaest. 43. n. 14. ex eo probatur, quia causa matrimonii est gravis, glos. in cap. mulieri 34. de iureiurand. Soccin. l. fern. conf. 86. num. 6. Sbroz. dict. quaest. 43. num. 10. & ideo in illa mulier testis esse non potest cum criminali par esse dicatur, ubi per text. in dicto cap. mulieri, probat Duen. reg. 325. ampliat. 1. Et contra alios declarat Molina de ritu nupt. lib. i. comp. 8. a num. 14. quicquid dicant Tiraquell. l. 9. connub. glos. i. part. 9. num. 64. & de penis tempor. cap. 5. n. 47. & seq. Malfard. de probat. conclus. 762. num. 6.

4 Hinc etiam in causa matrimoniali, quia est gravis, & ardua, & criminali equiparatur, iuramentum in supplementum probationis non praestatur, glos. verb. absolutio in d. cap. mulieri, Turretan. tom. i. commun. opin. lib. 4. tit. 10. num. 102. prope finem, vers. limita. secundo pag. 444. & 446. Malfard. de probat. in progm. q. 9. n. 43. & conclus. 1030. n. 1. Surd. conf. 109. num. 19. Borrell. in summ. omn. decis. tit. 54. de iuram. supplet. n. 45. Seraph. de privileg. iuram. privileg. 33. a nu. 113. Molin. d. lib. i. comp. 15. n. 4.

Et cause graves non possunt delegari sine iusta causa, ut probat text. in cap. si pro debilitate de officio delegat. quem ita intelligunt, Menoch. conf. 17. nu. 8. Paril. de resignat. lib. 5. qu. 3. n. 26. D. Barbof. in l. cum Praetor §. i. n. 396. ff. de iudic.

6 Probatur etiam, quia cum delegantur causae graves, & arduae censetur electa industria personae, cap. is, cui de offic. delegat. lib. 6. Menoch. de arbitr. lib. i. qu. 54. n. 7. & 11. de praesumpt. quaest. 21. n. 4. Ego ipse in decis. Curiae Archiepisc. Neapol. part. i. decis. 88. n. 6. sed quando est electa industria personae non potest, quis mandare alteri vices suas, cap. ult. §. 15. autem in i. de officio delegat. Menoch. dicta quaest. 21. n. 2. Honded. conf. 55. n. 79. vol. i. Surd. conf. 433. n. 15. & 16. Peregr. var. ad rubr. de officio, & potest. Iudicis delegati nu. 7. Sanch. de matrim. lib. 3. disput. 7. n. 18. ergo nec etiam poterit subdelegare causas matrimoniales, quae graves, & arduae sunt.

Ad text. verò in cap. ex literis, de in integrum restitut. respond. Couarrun. dict. vers. est tamen, in fine, ubi delegatum causam matrimonialem subdelegasse, quia eam commisit Collegae, cui ipse Romanus Pontifex eandem causam commiserat, & cuius industria ab ipso Principe, ad idem negotium electa fuerat.

RESOLVT. CCLXXI.

1 Vicarius Episcopi ex commissione potest de causa matrimonii cognoscere.

An Vicarius Episcopi habeat cognitionem causarum matrimonialium.

Potest tamen Episcopi Vicarius huius conjugalis causa cognitionem tractare, etiam ex generali commissione Episcopi, quod probatur ex text. in cap. de frigidis, & malef. ubi etiam proponendam esse que-

relam coram Episcopo, vel eius misso ad diuortium, ubi glos. verbo misso explicat, id est Vicario, probatur etiam in cap. ult. de cognat. pirit. ubi dicitur propositum esse impedimentum matrimonii, coram officiali Cantuariensi. & sic supponitur eum posse de causis matrimonii cognoscere; Ita tenet Anton. nu. 2. Praepos. n. 2. Abb. num. 4. Alex. num. 5. cap. fin. Couarrun. d. num. 1. vers. potest, Sbroz. d. lib. 2. quaest. 44. in fine, Bertachi. in tract. de Episcopo lib. 4. part. 7. quaest. 20. num. 23. Sanch. dict. disput. 29. num. 18. vers. 2. Azor. institut. moral. par. 2. lib. 3. cap. 45. quaest. 20. Narbona de appellat. à Vicario ad Episcopum par. i. num. 201. Quicquid contrarium velint, Rebuff. in praxi benefic. tit. de forma Vicar. num. 155. Ledesma de matrim. quaest. 45. art. 1. puncto 3. dub. 1. Vgolin. de officio, & potestate Episcopi cap. 4. §. 7. nu. 2. vers. 9. causas matrimoniales.

RESOLVT. CCLXXII.

1 Abbas potest cognoscere de causa matrimonii inter suos subditos, & n. 5.

2 Abbas non dicitur inferior.

3 In locis subiectis habet Iura Episcopalia.

4 Praelati seculares quoniam sint, & de quibus loquitur Concil. Trid.

An Abbas cognoscere possit causas matrimoniales.

Respondeo cum decis. Rotae in vna Burgen. iurisdictionis Decembris 1594. coram Orano, cuius tenor est.

1 Fuit resolutum cognitionem causarum matrimonialium, & criminalium pertinere ad Abbatem Sancti Ioannis, immediate cum suis subditis sedi Apostolicae subiectum, quia ut aliis in vna Salamant. iurisdictionis coram Card. Aldobrand. fuit dictum quando Abbas habet Iura Episcopalia, & proprium Territorium, nec est dignitas in Cathedrali Ecclesia, non comprehenditur in Decreto Concil. Trid. cap. 20. l. 24. de reform. quod loquitur de Decanis, Archidiaconis, & aliis Praelatis secularibus.

2 Neque enim potest dari inter eos aliqua similitudo, non quidem respectu dignitatis; cum Abbas non dicatur esse de inferioribus, ut est text. in cap. si quis deinceps 16. quaest. 7. Lopus allegat. 84. n. 11. Franc. in cap. 2. n. 5. de praebend. lib. 6. Sarnen. ad regulam de annal. quaest. 11. n. 4.

3 Neque etiam respectu facultatis, quia Abbas in locis pleno iure sibi subiectis habet iurisdictionem Episcopalem, vel quasi, cap. i. in singulis, de statu Monachorum, cap. Abbates, ante finem, de privileg. lib. 6. glos. clem. i. in verbo propriis, de reb. Eccles. non alienand. Butrio cap. cum explantare, §. in Eccles. de privileg. Aret. conf. 63. n. 4. Dec. in cap. cum te i. not. vers. & concludo de rescript. loca quibus subditi dicuntur extra iurisdictionem Episcopi, faciunt territorium separatum, Gemin. in cap. cum Episcopus, num. 4. eodem lib. 6. & in cap. 2. num. 19. de constitution. eod. lib.

4 Neque etiam ratione alicuius qualitatis cum Decretum loquatur de Praelatis secularibus, ut sunt Decanus, & Archidiaconus, cap. i. & tot. tit. de off. Archidiacon. Felyn. in cap. ex parte Decani de rescript. Rotae decis. 17. de concess. praebend. in nou. & alii inferiores, qui regulariter sub sunt Episcopo, Franc. in c. Romana, §. ab Archidiaconis in i. not. de appell. lib. 6. & quibus cum eo cumlatiue competit iurisdictionis, Abb. in c. cum ab Ecclesiis, n. 9. de offic. ordin. Felyn. in c. auditis col. 5. de praescript. Idem Abb. in c. pastoralis, n. 6. Felyn. col. i. de offic. ordin.

5 Ex quibus cessat id quod pro parte Archiepiscopi fuit deductum, quod scilicet cognitio causarum competens Abbati, restringi debeat ad causas suorum subditorum regularium, non autem secularium, cum istud non possit quadrare causis matrimonialibus, quæ inter Regulares non excitantur, ultra quod intentio Concilii non fuit Abbati, & aliis, exceptis regularibus præiudicium inferre, sed hoc omne relinquere dispositioni iuris communis.

RESOLVT. CCLXXIII.

- 1 Inferiores Episcopo possunt ex consuetudine cognoscere de causa matrimoniali.
- 2 Quenam consuetudo requiratur.
- 3 Inferior Episcopo quenam præscribere potest.
- 4 Inferior Episcopo non dicitur habere territorium, & quomodo.

An facultas cognoscendi causas matrimoniales possit præscriptione acquiri.

- 1 **E**X præscriptione, consuetudine, vel privilegio possunt inferiores Episcopo querere facultatem cognoscendi de causis matrimonialibus, ut probatur in dicto cap. accedentibus, resoluunt glof. in cap. 1. de consanguinit. glof. in cap. literas, de restitut. spoliat. Couar. d. num. 1. ver. verum. Palat. in repet. cap. per vestras, notab. 2. §. 1. nu. 33. Nauarr. consil. 1. sub titulo de officio Iudicis delegat. nu. 5. in antiq. & consil. 3. sub eodem tit. in nouis. Concil. enim Trident. d. c. 20. non suffulit consuetudinem in qua sunt inferiores Prælati, si sit immemorabilis, ut censuit Sac. Congregatio, prout referunt addit. ad Nauar. dict. cap. 3. Gonzal. ad regul. 8. Cancell. glof. 33. num. 5.
- 3 Quare etiam dicimus quod Prælati inferiores Episcopo potest præscribere ea, quæ sunt meri imperii, & similem potestatem cum territorio. Archid. in c. cum Episcopis, de offic. ordin. in 6. & de cognitione causarum matrimonialium, quæ præscribitur per inferiores Episcopos, qui hanc iurisdictionem exercebant, ubi conueniunt ius reddere, Calder. consil. 2. de præscript. post princ. ver. quod possit. Neque enim in Abbate ordinario hoc correctum est ex dispositione Concil. cap. 20. sess. 24. de reform. ubi inferiores prohibentur de huiusmodi causis cognoscere, nam intelligitur de inferioribus Episcopo subditis, prout ita præcari in Curia Romana testatur Flores quæst. 24. num. 25.
- 4 Et quamuis Prælati inferiores, excepto Episcopo, non possit dici habere territorium, nec de iure communi, nec de consuetudine, quæ non posset operari quod in eadem Ciuitate, vel Diocesi essent insolidum duo capita, quasi monstra, c. quoniam, & c. quanto de offic. ordin. Tamen sunt aliqui Abbates hoc habentes ex privilegio Papæ, qui solus hoc potest concedere, Panormit. in cap. cum contingat 13. colum. 6. in princ. ver. nec consuetudo num. 18. de foro compet. ubi subdit, quod inferior non potest querere sibi territorium tanquam separatum ab Episcopo, ita ut faciat caput in eadem Ciuitate, vel Diocesi, cum hoc sit absurdum, & impossibile; poterit tamen hoc facere querendo territorium quasi sub Episcopo, ut Episcopus habeat saltem vniuersalem iurisdictionem habitu, & Prælati inferiores, habeat quasi sub eo, licet ab exercitio excludatur Episcopus, prout in exemptis, & similibus, ut declarat Abbas in dicto cap. cum contingat 2. num. 19. de foro compet. sequitur Bald. de præscript. par. 5. quæst. 11. col. 1. in fin. num. 9. ver. sic, quod procedit, ubi etiam num. 7. subdit, quod inferior Prælati potest præscribere certam partem Diocesis cum territorio, excludendo prorsus Episcopum in illo loco ab exercitio iuris Episcopalis priuatiue, non cumulatiue,

Abb. in cap. auditis, de præscript. sic Dominus Prouinciæ habet ius in tota Prouincia, nisi aliquis præscriperit illud ius in aliqua Ciuitate, vel Castro intra Prouinciā; potest enim tale Castrum cum territorio ad alium pertinere, & sic facere per se territorium a Prouincia, idem Abb. in cap. nimis 29. col. 2. post med. ver. hæc vera secundum num. 1. in fine de iure iuran. Roland. consil. 33. num. 28. lib. 3.

RESOLVT. CCLXXIV.

- 1 Causarum matrimonialium, Capitulum sede vacante an sit Iudex.
- 2 Ex ordinaria Iurisdictione potest cognoscere, secus ex delegata Episcopo.

An Capitulum sede vacante possit cognoscere de causis matrimonialibus.

1 **M**ultoties vidi dubitari an Capitulum Sede vacante succedat in facultate cognoscendi de causis matrimonialibus; & videbatur negandum ex quo Concilium simpliciter verba facit de Episcopo, & consequenter minimè extendendum ad Capitulum, prout à simili arguit Abb. in cap. quod in ijs de maiorit. & obedient. Alex. de Neuo consil. 71. Calder. in consil. 2. de ijs, quæ sunt à Prælati absque consensu Capituli.

Cæterum contrariam sententiam tenendam existimo, quam firmanunt tex. in c. veniens de eo qui duxit in matrimon. resoluunt Couar. dict. nu. 1. in princ. ver. atque etiam Pauin. de officio, & potestate Capituli Sede vacante parte 1. quæst. 10. sub nu. 8. Quaranta in Summa Bullarij verbo Capitulum Sede vacante, quæst. 5. ubi asserit per Concil. Trident. dicto loco dispositum esse quod causæ matrimoniales relinquantur examini, & iurisdictioni Episcopi tantum, ut excluderentur alii Prælati inferiores, at Capitulum in hoc casu non dicitur inferior Episcopo, sed par.

2 Vnde ego ipse in Resolutione 215. existimaui in hac quæst. esse distinguendum, quod aut loquimur de causa matrimoniali ex ordinaria iurisdictione, & tunc non est dubium quod in ea succedat Capitulum Sede vacante in locum Episcopi, aut loquimur de causa delegata matrimoniali commissa Episcopo, aut eius Vicario in hæc verba. Dilecto Filio Vicario Fratris nostri Episcopi, & tunc Capitulum non succedit in delegatione.

Non enim valet Capitulum cognoscere de causa delegata Episcopo, etiam si appouerit ille manus ante obitum per C. quoniam Ab. de offic. delegat. Bellamer. decif. 166. Marchesan. de commission. super commissione appellatiouum extra Romanam Curiam par. 1. cap. num. 32.

Ex quibus secundum Barbos. ducta est sacra Rota Romana elapsis annis ad validam iudicandam impetrationem quandam beneficiorum certo modo factam à quodam Hispano, eo quia illa minus iuste possidebat alter adhuc Hispanus, & illegitimè natus, quia obtinuerat dispensationem illegitimitatis à Vicario Capituli Sede vacante suffulto delegatione Apostolica vigore Breuis expediti cum clausula illa officiali solita apponi in Breuib. directis ad partes Hispaniarum, ubi dicitur officialis, qui in Italia appellatur Vicarius ex notatis per Bellamer. decif. 5. de officio Vicarij, & addit ad decif. Rotæ 2. eodem titulo in nouis.

RESOLVT. CCLXXV.

- 1 Adulterii crimen, primus patrator.
- 2 Cognitio talis criminis cuius fori sit.

3 Cum

- 3 *Cum agitur de separatione Thori, Index Ecclesiasticus est competens.*
 4 *Si agitur de punitione delicti, Index secularis est competens.*

Cognitio criminis adulterij ad effectum separationis matrimonij spectat ad Episcopum.

- 1 **P**rimus homo qui adulterium commisit, fuit Lamech, ut habetur in capit. districta 24. quæst. 3. ubi Turcremata num. 10. dicit quod fuit grauius punitum, quam homicidium Cain: & pro Iudice seculari facit text. in cap. Rex debet 23. quæst. 5. ubi cognitio adulterij est mixti fori, & sic uterque Iudex potest cognoscere, & ibi illud notat Turcremata, Innocent. & Abb. & cap. tua de procuratoribus, & Ioan. Andr. in capit. fin. de adulteriis lib. 6. & in capit. 10. de offic. ordin. ubi Aleiat. nu. 18. testatur hanc esse communem opinionem, Roman. conf. 678. Bal. in Authen. Clericos num. 7. C. de Episc. & Clericis, Couar. de sponfalibus 2. par. cap. 7. num. 20. Iulius Clarus receptorum sententiarum lib. 5. quæst. 37. qui alios refert dicentes communem, Decianus in tractat. criminali to. 1. cap. 26. num. 2. Gregorius in l. 58. glo. 5. tit. 6. partita 1. Gomez. in l. 80. Tauri num. 47. vers. vnum tamen est Diaz in practica criminali, cap. 79. Menoch. de arbitris, casu 419. Guid. Papa decif. 68. Franchus decif. 312. Boer. decif. 292. Austerius de potestate seculari in Ecclesiast. regula 4. quæ cognitio mixti fori intelligenda est, si agatur de peccato puniendo, secus si de delicto, quia tunc Iudex laicus est solitus Iudex nisi agatur de separatione matrimonij ob causam adulterij, quia solus Ecclesiasticus cognoscit.
- 3 Et sic aut agitur civiliter contra adulteros, vel criminaliter, aut ad separationem matrimonij, & restitutionem dotis, si ad separationem matrimonij, & tunc coram Iudice Ecclesiastico agendum est cap. tua de procuratoribus, quia pena separationis Thori est Canonica, quæ videtur impedire sacramentum matrimonij, & sic solus Iudex Ecclesiasticus cognoscit, quam opinionem sequitur Romanus dicto singulari 674. Felyn. in capit. cum generale, de foro competent. versic. respectu adulterij, Iulius Clarus quæst. 37. quæro numquid in fine, Gomez. in dicta lege 80. Tauri num. 47. versic. vnum tamen scias, Decianus dicto cap. 26. num. 7. versic. Tertia conclusio, Bermondus, qui hanc dicit communem opinionem, & pro hac sententia consuluit Angelus de Vbaldis inter consilia matrimonialia conf. 42. ubi tenet quod si Iudex secularis velit procedere quod possit inhiberi a Iudice Ecclesiastico sub pena excommunicationis, idem tenet Decius in consil. 212. quia quotiescumque agitur ad separationem matrimonij, licet adulterium opponatur in vim querelæ adhuc crimen est merè Ecclesiasticum, ut docet Federicus Senis consil. 236. tit. de comp. Iudicis §. 1. versic. 17. Paulus de Castro consil. 65. volum. 1. num. 3. pro qua sententia est bonus text. in cap. plerumque de donationibus in tantum quod non potest peti restitutio dotis propter adulterium coram Iudice laico cum prius agendum est ad separationem Thori coram Ecclesiastico, & accessoria petenda dotis restitutio, si verò agatur de mero facto petendo dotem propter adulterium commissum, de quo constat per sententiam, vel per confessionem partis, ut tradit Franch. decif. 312. num. 6. versic. sed ad hoc dictum fuit, tunc solus Iudex laicus est competens, ut semel vidi iudicatum, quia de adulterio commissio constabat per executorias, & sic per Iudicem laicum fuit dos restituta marito.

Si verò agatur criminaliter de punitione delicti secundum penam legis, vel Canonis tunc Iudex secularis est competens, & non Ecclesiasticus, Authent. sed

hodie. C. ad l. Iulian. de adulteriis. Auth. nulli iudic. §. si quando vero, & quando puniatio, & accusatio est inter laicos, ut in l. 80. Tauri, ubi solus maritus potest accusare uxorem adulteram, quod huius cognitio ad solum Iudicem laicum spectet, tradit Innocentius in dicto cap. tua de procuratoribus, quia Iudex Ecclesiasticus non debet sententiam sanguinis proferre, cap. sententiam sanguinis, ne Clerici, vel Monachi, & si Iudex secularis debet illud delictum punire, ut in cap. si quis 23. q. 4. & in cap. Rex debet 23. q. 1.

PRAXIS COMMUTATIONIS VLTIMARVM Voluntatum.

RESOLVT. CCLXXVI.

- 1 *Destinata ad pios vsus non possunt in alium conuerti citra summum Pontificis consensum.*
- 2 *Legatus a latere non potest commutare destinata ad pios vsus etiam in aliud melius.*
- 3 *Voluntas Testatoris pro lege seruanda est.*

Deputata ad certos pios vsus, an possint commutari ad alios meliores, sine autoritate Pontificis, cum consensu hæredis.

Pluries accidit quod testatores faciunt legata ad pios vsus, quæ non possunt deferuire pro vsibus destinatis, & aliquando Ecclesiæ pro earum necessitate, vel vtilitate vellent uti legatis ad alios vsus, quam destinatos, consultus fui pluries, an autoritate Episcopi id fieri possit, & quia hæc materia est valde vtilis, & frequens, nonnulla in hoc titulo colligere putauit, sit itaque conclusio quod destinata, siue relicta a fidelibus, ad certos pios vsus non possunt in alios conuerti sine autoritate Papæ, text. Clarus in Clement. 2. quia contingit de relig. domib. itaut nec fieri possit commutatio a Legato de latere, Card. Imola, & Bonifacius in d. Clement. etiam si commutatio fieret in melius, iuxta veriorum opinionem Lap. Imol. Bonif. in d. Clement. Abb. in capit. tua nobis num. 4. de test. Spin. in specul. testam. gl. 10. num. 24. Aufer. ad Capell. Tholos. decif. 24. Caualean. decif. 40. num. 11. quia voluntas testatoris pro lege seruanda est, cap. vltima voluntas 13. q. 2. Mant. de conicet. vlt. volunt. lib. 3. tit. 3. & etiam si accedat consensus hæredis, quia non agitur de vtilitate ipsius, cui possit renunciare, sed de seruanda voluntate Defuncti, Card. Imol. Bonif. ubi supra Felyn. in cap. cum accessissent, num. 19. de constit. Nonarius in tract. de priuileg. miserabil. personarum priuileg. 71. num. 6. qui alios allegat.

RESOLVT. CCLXXVII.

- 1 *Derogatio iuris quesiti non est necessaria in commutatione vltima voluntatis facta per Papam, & num. 3. & 5.*
- 2 *Clausula non obstante non solum operatur validitatem commutationis, quoad nam partem testamenti, sed etiam totius.*
- 4 *Clausula non obstante tollit ius alteri quesitum.*
- 6 *Gratia erectionis de sui natura est præiudicialis.*
- 7 *Archidiaconus habet iurisdictionem in Ecclesia Cathedrali, quæ quando sublata censetur ibidem.*

Derogatio iuris quesiti, an sit necessaria in commutatione voluntatis, facta per Papam.

1 **D**ixi non esse necessariam, sumus enim in commutatione voluntatis, de vno vsu in alium facta per summum Pontificem, cum clausula non obstante, quæ sufficit, absque eo quod requiratur vltior derogatio